SACRÆ CÆSAREÆ,

NEC NON

HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ

Regiæ Majeſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi

NOMINE

SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI REGIS SVECIÆ LEGATO EXTRA-ORDINARIO

DOMINO

BENEDICTO OXENSTIERN,

COMITI IN KORSHOLM, ET Waſa, Libero-Baroni in Mörby & Lindholm, Domino in Roſerſperg & Capurij, ejuſdem Sereniſſimi Regis & Regni Sueciæ Senatori, ac Præſidi in Summo Appellationum Tribunali Wiſmarienſi,

Hiſcè benignè intimandum.

Digitized by Google

Digitized by Google

INtellexiſſe ſuam Sac: Cæſ:Regiamq;Maj.m gravamina & querelas, quas nomine Suæ Regiæ Maj.tis Sueciæ Dominus Legatus in Cauſa Religionis, Regnum Hungariæ, & Ducatum ſuperioris & inferioris Sileſiæ concernente, interponere voluit, quaſi facta ut alias ſæpius, ità nuper per Suæ Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliarium, Camerarium, nec non Germanicum in Regno Bohemiæ Vice Cancellarium, Dominum Adolphum Wratislaum Comitem de Sternberg, Dominum in Zaſmuck, Maloticz, & Hoſtiz certo

to modo promiſſa gratia & indulgentia Cæſarea : ſic nimirum tractatum iri Confeſſioni Auguſtanæ addictos, ut nec his, nec alijs eorum nomine anſa ſit conquerendi, ſperato debitoque effectu hactenus caruerit, dum altè memorata Sua Regia Majeſtas Sueciæ Sacra ſua in Conſortibus ſuis graviſſimas perſecutiones pati intueatur, non ſine graviſſimo dolore intelligendo, Confeſſionis Auguſtanæ Miniſtros, præſertim in Vrbibus Hungariæ, Leopoldopoli, Capuarino, Comarino, alijsque, atrociſſimâ violentiâ comprehenſos, verberibus dilaniatos, fame ac nuditate enectos, in carceres teterrimos ac horridiſſimos, inter angues ac bufones, & quidem catenarum onere conſtrictos, detrudi, vitamque in operis indigniſſimis, omni inſuper miniſterio interdicto, vel Tartaricâ morte intolerabilio-

biliorem trahere: Cui accedat, Templorum, Scholarumque ſanguine ac ſumptibus eorum, qui Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, exſtructarum uſum penitus prohiberi, Eoſdem ab omni ad conjungendas communes preces conveniendi facultate arceri, & vel ipſum Sacro Sanctum Verbum Cæſareum, contra promiſſa & Privilegia Anteceſſorum, varijs technis & prætextibus illudi & infringi, translatâ inſuper Cultûs divini faciendi facultate Eiſenſtadium, quam tamen Sopronij liberè concedendam, antehac Sacro Verbo Cæſareo, Tabuliſque publicis cautum fuerit, non attentâ infeſtâ locorum intercapedine, alijsque graviſſimis incommodis: Cumulum harum querelarum auxere allegata in oppidis Sileſiæ Leobſchüczenſi & Teſchinenſi reformandæ Religionis Licentia, &

 adhi-

adhibita, uti præfertur, violentia, in ſpecie verò Ducatuum Oppavienſis & Carnovienſis, per novos Articulos Ordinationi Provinciali duobus abhinc annis adjectos, aliaque auſa & attentata, labefactata, uti prætenditur, jura & Privilegia; cùm tamen Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſis neque Regnum Hungariæ excludat, neque quoad præfatos Ducatus Sileſiæ Oppavienſem & Carnovienſem, cauſatam inter Ducatus ad Regiam Cameram immediatè ſpectantes, aliosque, diſtinctionem admittat, nec ſine injuria Eorum, qui dictæ Conventioni tam ſanctæ ac ſynceræ deſudaverunt, credi poſſit, Clauſulam Juris interveniendi adjectam nihil omnino operari debere, prout hæc & alia à Domino Legato fuſiùs adducta & deducta ſunt. Movit & commovit ſuam Sacram Cæſaream,
Re-

Regiamque Majeſtatem hæc Domini legati tanto ſtudio facta interpellatio, ut totius negotij, utique graviſſimi, ſeriem maturiori diſcuſſioni ſubjecerit, deprehenderitque luculentiſſimis argumentis, ſuper Regno Hungariæ in Conventu publico Oſnabrugi in unum [illegible] penitus Tractatus inſtitutos aut fuiſſe, aut ex mente Dominorum [illegible] omiſsâ vel ideo omni omnino Ejuſdem mentione, eo quòd tum ſubjecta Tractatuum materia inter partes Belligerantes, fuerint Caput & Membra Imperij, Hungariâ interim ad Imperium nullo titulo ſpectante, neque Juriſdictionem Imperij ullâ ratione agnoſcente: quod clarè eluceſcit, ſi vel ipſa verba Inſtrumenti Pacis penitiùs inſpiciantur, cùm apertiſſimum ſit, Ibidem de illis Regnis & Provin-

cijs

cijs Suæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Domûs Auſtriacæ ſolùm actum fuiſſe, in quibus Eidem Jus reformandi exercitium Religionis non minùs, quàm alijs Regibus & Principibus, competebat; quod tamen de Regno Hungariæ eo tempore Ferdinandus Tertius laudatiſſ.mæ recordationis utrâ te Rebellione tum non prævisâ, minùs non prætenderat, ita pro- ſubſecuta acc. Anno Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Septimo cum Ragoczio erectâ, quæ Pacem Monaſterienſem & Oſnabrugenſem unico tantùm anno anteceſſit, omnémque Religionis libertatem, templis reſtitutis, omníque reformatione ſeclusâ, per Diplomata publicam fecit; Multa tum, ut Tabulæ Paciferæ ajunt, de majori Religionis libertate, ejusque Exercitio in Reliquis Suæ Sacræ

cræ Cæſareæ Majeſtatis, & Domûs Auſtriacæ, Regnis & Provincijs agitabantur, nullâ profectò ad Regnum Hungariæ factâ vel factibili reflexione, ubi pro illâ temporis differentia major Religionis libertas nec peti, nec ſperari potuit; ſummâ ibidem jam tunc libertate exiſtente & vigente. Et quamvis Sua Sacra Cæſ: Regiaque Maj.tas quoad Regnum Hungariæ neminem, præter DEVM recognoſcat, & illi ſoli rationem reddendam eſſe profiteatur. Ne tamen hæc ita ſcripta videantur, quaſi ea, quæ paucis abhinc annis in eo Regno acta ſunt, juxta omnes æquitatis & Juſtitiæ leges defendi non poſſent, placuit Suæ Sacræ Cæſareæ Majeſtati æquum Domini Legati Judicium, quo vel Ipſe, etiam quævis duriora contra Miniſtros Confeſſionis Auguſtanæ deprecari, indi-

gnum duxit, ſi illorum conatus ſcelera, & Crimina involverent, ſi fidem aut felicitatem Civilem corrumperent, ſi in ſuam Sacram Cæſaream Majeſtatem ſeditioſis Conſilijs inſurgerent, ſi injurijs aut importunis tumultibus auctoritatem Ejus ſupremam laceſſerent, ſi deniqûe ullas fidiſſimorum Civium partes detrectarent, non minùs æquam ſibi âb Eodem ſententiam promittit, ubi ex propria Reorum extra omnem carcerem, vim, & metum liberrimè facta Confeſſione, legitimè deſuper habito & finito Proceſſu, lataqûe quartâ menſis Aprilis anni non ita pridem præterlapſi, juxta Leges & Conſtitutiones Regni, coram Tabula Regia ſententia intellexerit, Reos legaliter citatos, accuſatos, defenſos, confeſſos legitimeqûe convictos & condemnatos, diverſis

verſis temporibus & locis pernicioſiſſima Conventicula celebraſſe, occultas, apertasque conſpirationes foviſſe, ſynodum ad Tributum Turcis dandum in unum coegiſſe; Rebellionem contra Suam Sacram Cæſaream Reg: Majeſtatem: Regem ſuum & Dominum Clement:mum nefario auſu concitatam, imò concluſam contra fundamentales Regni Conſtitutiones, non tantùm non manifeſtaſſe, verùm integra Oppida & Vrbes quà ope, quà opibus ad deteſtandam hanc ſeditionem ſufflaminaſſe.

Longum profectò foret ſingula perfidiæ genera & ea, quæ publicis Actis & Inſtrumentis jam comprobata ſunt, ſpecificè recenſere (ſuper quo tamen ſua Sacra Cæſarea Majeſtas Domino Legato exactiorem informationem fieri, ubi id ipſum deſideraverit, mini-

mè difficilem ſe exhibebit) porro ex antè recenſitis illud unicum ſufficit, Reos injuſtè querulantes non ex odio Religionis, ſed crimine Rebellionis ne quidem condignè pati, quod meruêre : *Animadverſio in ipſos Catholicos ſeveriùs executioni demandata luculentiſſimi ad inſtar Teſtimonij eſt, non Religionem impetitam, ſed Rebellionem punitam & coërcitam fuiſſe ; Utraque Religio & Catholica & Auguſtana, Fidem Regibus ſuis vult Sanctam eſſe ac inviolatam, neq; hic licet ulli aut ullibi impunè impium eſſe.*

Innuit quidem Dominus Legatus in propoſitis ab eodem querelis, pleraſque perſecutionum plagas complicitatis, & conſpirationis glaucomate illatas ſolummodò fuiſſe, cùm tamen Rei præfati tranquillè & pacificè vixerint,

xerint, ſeque tales præſtiterint, quales erga ſuum Principem decet. Dabit autem hoc Dominus Legatus propriæ & probatæ ſuæ integritati, dabit Fidei publicæ, Tabulæque Regiæ Regni Hungariæ hactenus ſemper illibatæ, dabit Proceſſui legitimè deducto & finito, dabit denique ſententiæ publici Juris factæ, & à ſua Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtate benignè confirmatæ, ut non amplius inſontes credat, aut ut tales tueri cupiat illos, quos propria criminis confeſſio publicique Juris authoritas jam dudum nocentes fecit, & declaravit.

Exploratum habet ſua Sacra Cæſarea Majeſtas Suam Regiam Majeſtatem Sueciæ ex illa ipſa decade ſeu Comœdia eidem exiguo ab hinc tempore dedicata, in qua contra Regem & Dominum ſuum arma provocare, &

 ſe

ſe ſuaque in perniciem Regis & Regni devovere non abhorruerunt, hoc genus hominum quaſi ex veneno viperam, & ex ungue Leonem adeò jam aſſecutam eſſe, ut alij Teſtes ulteriùs non deſiderentur. Accuſatus Carceris squalor, aliaque mala in medium allata, quibus ſæpe dicti Miniſtri Auguſtanæ Confeſſionis affligi, imò enecari dicuntur, compaſſionem & remedium mererentur, ſi verificari poſſent, cupit enim Sua Sacra Cæſarea Majeſtas illud ſibi, ſuæque Clementiæ tribui, quod non tantùm omnem rigorem, ſed & ea, quæ rigoris nimij ſpeciem habere poſſunt, quantocyùs inhibere & inclinet, & intendat, nullo hactenus exemplo aut audito aut monſtrato, ullum in carcere ſeu verberibus dilaniatum, ſeu fame vel inediâ enectum fuiſſe. Templa & Gymnaſia

naſia Sopronij neque ſanguine neque Sumptibus eorum, qui Confeſſionem Auguſtanam profitentur, exſtructa, fuiſſe litteræ fundationum demonſtrant, ipſique Sopronienſes proprio facto conteſtati ſunt, dum illa ad manus Catholicorum, ultrò & ſpontaneè ſine ullo armorum ſtrepitu & violentia, reſignarunt, & reſtituerunt. Eadem benignitate proſequitur Sua Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas reliquos Hungariæ Incolas Auguſtanæ Confeſſioni addictos, qui tranquillè & pacificè vivunt, ſeque tales præſtant, quales erga ſuum Regem & Dominum Naturalem decet: Teſtatur id indultum liberi Religionis exercitij vigeſimâ tertiâ menſis Februarij anno ſuperiore emanatum; Idem loquuntur decimâ tertiâ Januarij anni currentis Præſidiarijs, alijsque data

De-

Decreta: quòd autem præfata Exercitij Auguſtani libertas Sopronio Eiſenſtadium translata ſit, hanc loci alterius denominationem Sua Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas ſibi in antè dicto Indulto expreſſiſſimis Verbis reſervavit, & proinde nihil omninò actum eſt, quod Verbo Cæſareo Tabulisque publicis contrariari poſſet, accedente inſuper ultroneâ ipſorum Civium Sopronienſium acceptatione alijsque ipſius loci commodis ob ſitum Vrbi Viennenſi viciniorem.

Quod reliquum eſt, ſperat ſua Sac: Cæſ: Majeſtas, novitque eam Suæ Regiæ Majeſtati Sueciæ ineſſe animi magnitudinem; ut Rebelles contra ſuum proprium Dominum inſurgentes, Exemplo Regibus pernitioſo, impoſterum minimè ſit protectura, neque fidem ullam adhibitura illis, qui juratam

tam Deo & Regi ſuo fidem auſu tam turpi & temerario infringere non erubuerunt, magis ritè fideliùsque facturi, ſi Clementiam Suæ Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis deprædicaverint verius: quàm accusârint, utpote quæ, tametſi ſe per deteſtandam perduellionem Bonis omnibus, immunitatibus, imò ipsâ, quam agunt, vitâ indigniſſimos fecerint, nihilominus non fideles tantùm, ſed & ipſos Rebelles verbo ſuo Cæſareo, Regioque aſſecurare, dignata eſt, neminem ad Catholicæ Religionis amplexum coactum iri.

Quod Sileſiam attinet, meminit Sua Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas, recentique ſemper memoriâ ſecum revolvit ea, quæ in Inſtrumento Pacis ſæpius allegato in favorem Auguſtanæ Confeſſionis gratiosè conceſ-

ſa ſunt, nec immemor eorum, quæ ab anno milleſſimo ſexcenteſſimo quadrageſimo nono ad hæc usque tempora tum ad Regiam Sereniſſimæ Suecorum Reginæ Hedwigis Eleonoræ Interventionem, tum ad alias Dominorum Electorum & Principum Imperij Interceſſiones, reſponſa, promiſſáve fuerunt, hactenus tamen aliud reperire non potuit, quàm omnia, quæ ibidem continentur, ſanctè & integrè obſervata eſſe, nullo unquam mandato emanato, quod eidem non eſſe conforme, judicatum fuiſſet: Promittit quóque Sua Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas, quod eam, quam de obſervando Inſtrumento Pacis tum oretenus, tum ſcripto fecit, ſecuritatem, etiam impoſterum conſtanter ſit obſervatura.

Quod de Ducatibus Sileſiæ Oppa-

pavienſi & Carnovienſi aſſeritur, ex ipſo Pacis Inſtrumento in confeſſo eſt, Eoſdem neque inter Ducatus per particulam *ſcilicet* ſpecificè expreſſos, neque inter Comites, Barones, Nobiles, eorumque ſubditos in reliquis Sileſiæ Ducatibus, qui immediatè ad Cameram Regiam ſpectant, comprehendi, quod præfati Status Oppavienſes optimè ſcientes, Sac: Cæſareæ Majeſtati Ferdinando Tertio glorioſæ memoriæ, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono per Ablegatum quendam Gerſon nomine pro libero Religionis Exercitio ſupplices facti, jam tum per Decretum de dato quintâ Auguſti anno milleſſimo ſexcenteſimo quinquageſimo reſponſum retulerunt, Eos utpote in Inſtrumento Pacis minimè comprehenſos Juri reformandi omninò ſubjacere, cui

 etiam

Digitized by Google

etiam hucusque meritò acquieverunt.

Nec eſt quod dicatur, Interventiones & Interceſſiones hactenus factas omni caruiſſe effectu, illis enim ſolis tribuit Sacra Cæſ.a Regiaq; M.tas quòd contra prædictos Ducatus Oppavienſem, & Carnovienſem cum reformatione eo rigore, quo licebat, minimè proceſſum ſit, verùm ſtatus Auguſtanæ Confeſſioni addicti etiamnum tolerentur.

Articuli Ordinationibus Provincialibus duobus abhinc annis annexi, Conſtitutionibus Moravicis, quibus præfati ducatus utuntur, conformes ſunt, neque ſperat Sacra Cæſarea Regiaque Mas circa Jus Legis ferendæ in ſuis Provincijs ab aliquo ullum ſibi modum poni velle aut voluiſſe. Oppidum Leobſchüzenſe in Ducatu Carnovienſi

vienſi ſitum quod attinet, eodem illud cum Ducatu jure utitur, accedente inſuper ſtatuto ſpeciali, quo ſe prætacta Civitas ad Religionem Catholicam ſemper & conſtanter tenendam ſpecialiſſimè obligavit. Idem fecit Civitas Teſchinenſis ſub regimine Duciſſæ Eliſabethæ Lucretiæ, quod ipſi Cives Auguſtanæ Confeſſionis agnoſcentes ſolummodò liberam ſua divendendi & emigrandi petierunt facultatem, quæ etiam illis liberaliſſimè conceſſa eſt, ſtatibus Ducatûs Teſchinenſis in ſua Religione cœteroqui imperturbatè viventibus. Ad antè memoratas Interceſſiones querelis exortis remedia condigna ſubſecuta ſunt, quemadmodum eadem Sacra Cæſarea Regiaque M.as hiſce denuò pollicetur, ſe omnes in modo procedendi, â quocunque demum, commiſſos exceſſus, quoties de

ijs

ijs conſtiterit, cum effectu correcturam, allaboraturamque, ut impoſterum ij, quibus Religionis negotium commiſſum fuerit, in debita orbita contineantur, atque Auguſtanæ Confeſſioni addicti, tum quoad ſtolæ Accidentia tum etiam in alijs, ita habeantur, ne ſua Regia M.as Sueciæ (dummodò injuſtis precibus, & minùs fundatis propoſitionibus aures præcludantur) anſam habeat, ſuam Sacram Cæſaream, Regiamque M.tem deſuper interpellandi. Id quod ſupereſt, eadem Sacra Cæſarea, Regiaq; M.tas Domino Legato gratiâ ſuâ Cæſareâ Regiâque addicta perſeverat. Signatum ſub ejuſdem Suæ M.tis Cæſareæ appreſſo Sigillo Secreto, Viennæ die 4tâ Menſis Februarij Anno Domini 1675.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Sacra Cæſarea Regiáque Majeſtas.

CUm in quibusvis occurrentijs de æquitate indulgentiaq́ue S.æ Cæſ.æ M.tis Vræ optimam debitamq; opinionem fovet S.a Reg. Maj.as S.a Rex ac Dominus meus Clementiſſimus, tum vel maximâ in Eandem fiduciâ erigitur, impenſiſſimeq́ue Eandem requirit circa anguſtias & neceſſitates afflictiſſimorum, in Regnis & Provincijs ſuis degentium Evangelicorum, Urget enim hoc Fides, urget Conſcientia; nec tantum

Digitized by Google

tum Chriſtianitatis Ratio, ſed & vel ſolus humanitatis Character. Multò equidem mallet S.ª Reg.ª Maj.tas Rei totiens iteratæ mentione ſuperſedere, nec quidquam hoc de Negotio amplius movere; niſi facta, ut aliàs ſæpius, ita nuper per Dn: Comitem de Sternberg promiſſa: ita tractatum iri Confeſſioni Auguſtanæ addictos, ut nec his, nec alijs eorum nomine, anſa ſit conquerendi; ſperato debitoque effectu hactenus caruiſſent; & ſi nihil contra hos peractum fuiſſet, quod Gratiæ & Indulgentiæ â Cæſ.ª Maj.te V.ra certo modo promiſſæ, repugnaret: Verùm quàm procul hinc abſit miſerrima omnibusque nota illorum conditio, ut fortaſſe per Zeloſorum artes, qui preſſorum Evangelicorum gemitus auribus benigniſſimis S.æ Cæſ.æ Maj.tis V.ræ intercept ant, Eandem lateat; certè tam

veris

veris quã acerbis comemorationibus, non ſine ſummo dolore S.a R.a Maj.as S.a hactenus intellexit. Nec mirum Cæſ.æ Maj.ti Vræ fore ſperat, ſi æquis oculis & ſine interventione intueri non queat, Sacra ſua in Conſortibus eorundem atrociſſimas perſecutiones pati, ſpecieque iſt hac, tot, non tantum innoxios, ſed & bene meritos omnibus fortunis everſos, quæſitis ludibrijs & contumelijs haberi: Religionisque Evangelicæ Miniſtros, præſertim in Vrbibus Hungariæ, Leopoldopoli, Capuarino, Commarino, alijsque atrociſſimâ violentiâ comprehenſos diripi, ac ſævâ procacitate vexari, verberibus dilaniatos, fame ac nuditate enectos, in carceres teterrimos ac horridiſſimos inter angues ac bufones, & quo adverſus hanc peſtem defenſione careant, conſtrictos detrudi; ubi verò mitius cum ipſis agi-

 tur,

tur, & lucis uſus conceditur, ad operas non graves, ſed omnium quæ occurrunt, imò quæ excogitari poſſunt, indigniſſimas ſpurciſſimasq; perpetuo catenarum onere, crudelius quàm ſceleſtiſſimæ proditionis ac parricidiorum manifeſti, absque omni commiſeratione nullaque prorſus illudendi & ſæviendi ſatietate, compulſos vitam vel tartareâ morte intolerabiliorem trahere. Huc accedit, quod recuſato animæ & conſcientiæ pretio ſcholæ, & omnia bonæ Educationis Pietatisque adminicula, quibus tenera ætas in uſum & ſervitia, fidamque ſubjectionem, erga Cæſ.am Maj.tem V.ram erudiri ac formari debebat, nullo fidei publicæ præſidio penitus ſubtrahantur: ut reticeam ne quidem Baptiſmi ab Evangelicis Eccleſiæ Miniſtris adminiſtrandi copiam eſſe, nec Templorum uſum relinqui,

linqui, ſanguine ac ſumptu Evangelicorum proprio, partim adverſus Turcos aſſertorum partim conſenſu, ac permiſſu Cæſareo extructorum. Grave profectò, adeo mundana Cæleſtibus antehaberi, ut, dum hiſtrionibus, ac circumforaneis propriæ paleſtræ ſat ſollicitè, nec nunquam ſine aliorum incommodo, additis inſuper Privilegijs tribuuntur, Chriſtum amplexis, publico nec moroſis nec incommodis quin de ſalute Sac: Cæſ: Maj: Veſtræ precando ſollicitis, ſub vili ac perpluvio tabulato quodam, imò ſub dio, imò in abditis propriarum ædium, preces conjungere invideatur, ac pœnis intolerabilibus prohibeatur. Procul abeſt à Sac.ª Reg.ª Maj.ᵗᵉ Sua, ut ullam hic culpam Cæſ.æ Maj.ᵗⁱ V.ʳæ Principi, tanta Clementiæ Æquitatis & Fidei, laude celebratiſſimo imputet: præſertim
 cum

cum ſibi in mentem revocat, quæ animi, tam immanem, tam â placida Chriſti Regula, Apoſtolicæque charitatis exemplo, alienum procedendi modum, merito averſantis ac damnantis documenta hactenus dederit, non tantum benignis reſponſis ac promiſſis Suæ: Reg: Majeſt: per Miniſtros ſuos declaratis, ſed & per laude digniſſima in favorē Evangelicorum edita Diplomata ad exemplum Glorioſ:mæ mem:æ Prædeceſſorum ſuorum, qui Evangelicos inter fido ſubditos ſuos agnoſcere, ſecuritatique illorum Authoritatem ſuam impertiri haud dedignati ſunt. Cæterum dum his munimentis miſeri confidunt; & Cæſ.a Maj.as V.ra Majorum ſuorum laudes, facilitate dignâ in hos, & quoscunque æmulatur, evenit, ut vis & fructus tantæ Virtutis, tantique beneficij tam Cæſ: Majeſtati

Veſtræ

Veſtræ, quàm illis, quibus deſtinabatur, intervertatur, Sacro Sanctum Verbum ejus Cæſareum, neſcio quibus technis aut prætextibus eludatur, ac infringatur, miſeri Evangelici nunquam minus ſecuri degant, quàm poſt impetratas ſecuritatis Tabulas ac Diplomata Cæſarea, quaſi tantum in Tempus, nec perinde in præſidium afflictorum, quam ſpeciem Clementiæ conficta eſſent, ſævitiam perſecutionis prohibere non valentia. Magis ritè partes ſuas Auctores hujus calamitatis obirent, ſi Fidem ac Dignitatem Cæſaream executione Intentioni Cæſareæ tam benignæ, conformi, tueri, ac ſuſtinere niterentur, quàm eandem profanis magis quàm verè pijs, finibus ſubruere & invertere. Quo demum fit, ut pijs, ut honeſtis, ut fidis eſſe non liceat, totque Chriſtianæ & probiſſimæ animæ,

Ditio-

Ditione Cæſ.æ Maj:tis V.ræ exactæ, quod miſerrimum eſt, Turcico Jugo mancipentur. Regia Majeſtas Sua pro Evangelicis Cæſ: Majeſt: V.ræ ſubditis quævis duriora non deprecaretur, ſi illorum non tam de ipſo ſalutis Chriſtianæ fundamento quàm Apoſtolicorũ dogmatum additamentis quibusdam diverſi ſenſus, ſcelera & crimina involverent. Si Religionis hæc difformitas fidem, aut felicitatem Civilem corrumperet, ſi Evangelici in Cæſ.m Maj.tem V.ram ſeditioſis conſilijs inſurgerent, ſi injurijs aut importunis tumultibus Auctoritatem ejus ſupremam laceſſerent, ſi ullas fidiſſimorum Civium partes detrectarent, vel ſi Catholicis ſegnius imperata facerent. Verùm cum hiſce contraria omnibus in confeſſo, quantumvis pleræque perſecutionum plagæ complicitatis conſpirationis glaucomate illitæ fu-

fuerint, cum Evangelici tranquillè & pacificè vivant, ſeque tales præſtent, quales erga ſuum Principem decet, adeoque illi à proditionis ac perfidiæ flagitio abhorreant, ut nihil obnoxius quàm exuendæ fidei neceſſitatem, nihil ſupplicius deprecentur, nec alij adverſus infideles, bona, corpora, & vitam Cæſ: Maj.ti V.ræ immolare promptiores ſint, animas ſibi ſolùm illibatas vendicantes, viderint, qui gravius in eos conſulendi auctores ſunt, quomodo ratio factorum apud Sac.m Cæſ.m Maj.tem V.m ipſis conſtabit, ſi fortè funeſta, quæ hinc enaſci poterunt, DEVS verò avertat eventa, ſeveritatem Ejus aliquando in ſe converterint.

Juſſit interim Regia Maj.tas Sua Cæſ: Maj.ti V.ræ ob oculos poni, quàm dilucida & clara ſint verba Inſtrumenti

Pacis in favorem Evangelicorum, Regna Provinciáſque Cæſ.æ Maj.tis V.ræ & Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ incolentium poſita, ubi quibusdam illorum, utpote Sileſijs, explicitè, nominatim, & inviolabiliter Religionis liberum Exercitium conceditur, aliorum circa hoc conditio, per amicam interventionem S.æ Reg.æ Maj.tis Suæ ordinúmque Auguſtanæ Confeſſionis (quæ tamen toties hactenus fruſtra tentata ſunt) demiſſam interceſſionem, expedienda, in aliud tempus reponitur. Vix profectò ſine injuria eorum, qui dictæ Conventioni tam ſanctè ac ſincerè deſudaverunt, credi poteſt, inanem eos hanc (qualis tamen hactenus fuit) clauſulam adjeciſſe vel fallaci ſpe miſeros trahere voluiſſe, cumque adeò non minus per fidem ac dignitatem publicam, quàm naturam omnium conven-

ventionum verba Clauſulæ illius aliquid operari debeant, nihil utique minus operari poterunt, quàm ut Evangelici, ſaltem quo ſtatu erant, cum Pax concluderetur, relinquantur. Neque ſperat R. M.^{tas} S.^{a} Cæſ. M. V.^{ram} diſtinctioni à D. Comite Sternbergio in Suecia, inter Ducatus Sileſiæ ad Cameram ac Menſam Regiam ſpectantes & reliquos adhibitæ, vel excluſioni Hungariæ à Regnis Cæſ.^{æ} Maj.^{tis} V.^{ræ} quæ ſenſu pacificationis comprehendantur, amplius inſiſtere velle, cùm neque diſtinctio illa, neque excluſio hæc in Tabulis Pacis ullo modo fundata ſit, ſed potiùs directè ipſi repugnet. Quæ cùm ita ſint, pro ea, quæ R. M.^{ti} S.^{æ} pro hiſce oppreſſis, ac ſub tanto inquiſitionum rigore, ac ſævitiâ gementibus Evangelicis Cæſ.^{m} Maj.^{m} V.^{m} orandi & exorandi facultas competit,

Digitized by Google

per Amicitiæ ac correſpondentiæ ſinceræ cum Cæſ. Maj. V.ra perpetim colendæ jura, per publicam tranquillitatem, per Clementiam, per Fidem ſuam, per ſemetipſam denique Cæſ. Maj. V.ram rogat & obteſtatur, ut in conformitate Privilegiorum ab Auguſtiſſimis Prædeceſſoribus ſuis, Seque ipſamet, Evangelicis collatorum, publicarumque legum & conventionum, conſcientias liberas eſſe jubeat, reſtitutoque in Regnis & Provincijs ſuis Hæreditarijs, Evangelicæ Religionis Exercitio, cum Templis, Seminarijs, & Scholis, quæ antea huc pertinuere, cultus Divini orbitate hactenus conſternatos Evangelicorum animos, ſemel prō ſemper à deſperata, quam agunt, vita revocare, quosque naſcendi ſors & fides inviolati obſequij ſuos facit, ut ſuos habere dignetur. Quo etiam fiet; ut

57

ut Cæſ: Majeſtas V.ra ab omnibus pro illis intercedentium amplioribus interpellationibus dehinc vacare poſſit, & quot miſeri illi jam ſuſpirijs ac gemitibus, DEO, conditionem ſuam iniquam dequeruntur, tot poſthac elogijs, bonitatem atque æquitatem Indulgentiſſimi Cæſaris ac Domini ſui deprædicent, totque precibus ardentiſſimis Numini, ſalutem, vitam & proſperitatem Ejus commendent. In ſpecie verò, ſiquidem quæ Equeſtris ordinis Evangelicis eorumque ſubditis, in Ducatibus Sileſiæ, Tropavienſi & Iegerndorffienſi, vi Inſtrumenti Pacis indubia competunt jura ac privilegia, partim per novos Articulos, ordinationi Provinciali Tropavienſi, duobus vel tribus ab hinc annis, adjectos, partim per varia auſa & attentata Miſſionariorum Domini Epiſco-

pi Olmutzenſis, diverſis modis infringuntur, & quantum penes Eos eſt, penitus convelluntur. S.ª R.ª Maj.tas S.ª à S.ª Cæſ. Maj. V.ra maximoperè & inſtantiſſimè contendit, ut non tantum præfatos ordinis Equeſtris, Eorumque ſubditos, in dictis, ſed & quoſcunque in cæteris Sileſiæ Ducatibus degentes Evangelicos, in plena ac placida, quatenus publicæ Conventioni Sanctiſſimæ congruit, conſcientiæ & educationis libertate, competentique hactenus, tam dignitates ac munia Provincialia capeſſendi, quàm bona immobilia acquirendi, ac poſſidendi jure, inviolatos relinquere ac tueri dignetur. Eaq; propter non tantùm iſthæc prohibentes Articulos ordinationis prædictæ antiquare, ſed & vel memoratos Miſſionarios amovere ac revocare, vel rigida ac licentiſſima eorum

rum conſulta ita refrænare properet, quo ab injuſtiſſima reformandæ religionis in oppidis Leobſchützenſi, Teſchinenſi, alijsque adjacentibus diſtrictibus, exercitâ hactenus violentiâ (adverſus quam triennali interceſſione ac ſollicitatione R.æ Maj. S.æ nihil amplius effectum eſt, quàm ut plures quadringentis incolis Leobſchützenſibus per Vicinas Regiones mendicitantes oberrent) impoſterum deſiſtant, uſurpataque hactenus beneficia Canonica præmemorato Ordini Equeſtri eorumque ſubditis, ſine impedimento concedant. Quibus & hoc per Clementiam æquitatemque Sac.æ Cæſ.æ Maj.tis V.ræ accedit, ne amplius fas ſit dictos Miſſionarios, nomine neſcio quorum ſtolæ accidentium, & ſimilibus, miſeros Evangelicos bonis ſuis exuere; præſertim cum hoc pacto, nihil aliud quam

in

Digitized by Google

in Ditionibus Cæſ.æ Maj.cis V.ræ triſtem ab optimis Civibus ſollitudinem faciant, Vrbes Incolis, agros Cultoribus orbent, ſubditosque Cæſ: Majeſt: V.ræ alioqui probiſſimos, ac integerrima fide, vel malos eſſe cogant, vel nullos.

Quemadmodum etiam Evangelicis in Hungaria degentibus, ſingulatim verò Civibus Edenburgi, ſi ulli fidei in Cæſ: Majeſt: V.ram inſignibus, & ſubjectione devotis, ſub initium hujus anni, in Vim perpetuæ ac duraturæ transactionis, prævijs Sac: Maj: S:æ Reg.æ Inſtantijs de libero Religionis exercitio Sacro Verbo Cæſareo, Tabulisque Publicis, cautum fuit; poſtea tamen evenit, ut Cultus Divini faciendi facultas Edenburgo Eiſenſtadium translata fuerit: quo ob intercapedinem locorum, & infeſta itinera tutò, vel ſine graviſſimis incommodis,

com-

Digitized by Google

commeari non peteſt, nullâ extante ratione, cur publica in hoc paſſu fides vertatur, niſi fortè, ut per immutationes, pericula, & faſtidia labefactatâ gravataque Evangelicorum libertate ac Juribus, tanto denique facilius planè evertantur. S. R. Maj. S.ª igitur, ut quæ nihil magis ad ſe pertinere, nec quicquam majore ſibi ſtudio proſequendum arbitratur, incolumitate eorum, quos Religionis communio ſibi conciliat, S.m Cæſ.am Maj.tem V.ram Amicè, Fraternè, & quàm enixiſſimè petit, velit hoc ſuæ totiens iteratæ interventioni, imò propriæ dignitati demum dare, ut ſperatum convenientemque libertates ab Eadem Edenburgenſibus clementiſſimè confirmatæ effectum habeant: contraque earundem tenorem loco tam in idoneo projectum, ſive (ut Cancellariæ Hungaricæ loqui placuit) relega-

 tum

tum Religionis Exercitium cum ablatis Templis, & vel maximè neceſſaria Scholarum apertura atque Gymnaſiorum, Vrbi eorum, ſicut & reliquis Civitatibus ac pagis reſtituantur, earumque deinde fruitio ab omni Vi aut impedimento impoſterum immunis ac imperturbata maneat. Perſuaſiſſimam cupit Reg.a Maj.tas S.a Cæſ: Maj.tem V.ram non poſſe ipſam ſibi luculentius vel gratius, benigni, amici ac Fraterni animi ſui pignus exhibere, quàm ſi exorari hic ſe patiatur, impenſiſſimoque in perculſos ſacrorum ſocios, ſtudio ſuo & Charitati velificari ac funeſtæ eorum ſorti præſenti levamento ſubvenire non gravetur. Augebunt hæc impenſiſſimè famam Clementiæ Cæſ. Maj.tis V.ræ, nec tantum ſuam R.m Maj. ſed & tot Sacri Romani Imperij Electores, Principes, ac Status arctiſſimè Ipſi devin-